

## † R. P. Ioannes Bapt. Lojacono.

(Prov. Siculae).

Natus erat carissimus hic confrater die 3 martii 1838 Agrigenti, ubi pater magistratus quodam munere fungebatur, e familia pia et honesta, cumque fratrum minimus esset, Beniamini loco habitus est. A puero, cum a quibusdam formam speciemque suam venustam laudari audiret, aegre rem tulit ac saepe matri de his loquelas conquestus est. Episcopus Agrigentinus tum avunculus eius erat Mons. Lojacono, qui nepotem puerum in seminarium dioecesanum cooptavit. Ioannis indoles acris erat. Die quodam, cum unus e sodalibus ei molestus esset, arreptum vas atramento plenum in eum coniecit, ita ut vestes illius foede macularentur, quod cum palam factum esset, reus sane facti poenam dedit. Fratres natu maiores omnes in munieribus publicis, quae capessiverant, ad honores pervenerunt. Beniaminus vero adhuc puer aliam viam ingressus, cum quattuordecim esset annorum, in familiam S. Alphonsi annumerari petivit, cumque a patre in noviciatum Saccensem deductus esset, humanissime exceptus est, quod ipse postea senex lepide narrabat.

In noviciatu annisque sequentibus studiorum praesepe ad Natale Domini a noviciis tam saepe celebrandum exornare in deliciis habuit. Pro dierum festorum sollemnitatibus ignes artificiosos praeparare solitus est, qui in Sicilia usitatissimi sunt. In studiis, ad quae s. professione die 24 decembris a. 1852 facta transiit, in sodalibus, e quibus haud pauci ingenio va-



lebant, inter primores locum habuit, ita ut in disputationibus eius nomen non ultimum quotannis locum obtineret. Cumque ingenio esset alacri studioque ardenti in litteras ferretur, a superioribus obtinuit, ut praeter ea, quae disci oportuit, etiam in alias scriptores aliasque disciplinas incumberet.

Anno 1859, cum Mons. Carmelus Valenti e Congregatione nostra primo episcopatus sui Mazariensis anno Saccam venisset, Lojacono cum sodalibus suis ad diaconatum provectus est, et quia superiores eius ingenium aptum dicendique facultatem perspecta habebant, statim per sabbata in ecclesia nostra laudes B. Mariae V. celebrare iussus est. Sed en, quo casu necopinato correptus sit. Cum prima contione bene preeparata et memoriae mandata in suggestum ascendisset, visa hominum se audire cupientium caterva ita perterritus est, ut ne verbum quidem proferre posset et de suggestu descenderet iam numquam ascendere sibi proponens. At a superioribus animo addito confirmatus oboedientiae concessit et verbi Dei preedicandi munus suscepit, quod quam bene factum esset, longo vitae eius spatio monstravit eventus.

Anno 1860, cum rebus publicis in Sicilia eversis Congregatio nostra eiusque domus suppressae, Patres ubique dispersi essent, P. Lojacono, qui interea die 18 septembbris sacerdotio auctus erat, debita obtenta licentia Panormum discessit ibique docendi venia impetrata totum se iuventuti instituendae dedit. Non multo post ipse suo nomine lyceum instituit, in quo magistris optimis iuvantibus magnum iuvenum numerum erudivit educavitque, qui postea locis conspicuis et ecclesiae et patriae multam et utilem operam preestiterunt. Accurata et gravi disciplina tum iuvenum studia provehens tum moribus invigilans successus prosperos habuit, multique, qui olim eius discipuli fuerant, cum seni ei obviam facti sunt, maximae aestimationis signis eum exceperunt; sed ipse etiam P. Lojacono laetus semper comisque exceptit, si in quem forte incidit. Quanti eius opera habita sit, ex eo quoque videre licet, quod saepe rogatus est, ut in scholis sive publicis sive institutorum religiosorum examinibus preecesset eiusque iudicio cum de discipulorum profectu tum de institutis ipsis fides maxima habebatur. Interea vero aliis quoque laboribus occupabatur. Fabulam quandam Romanensem tum in lucem edidit, cui inscripsit *Maria dell'Orto*, et alios libros conscripsit. In festis saecularibus, quae in honorem abbatis Melii, qui poeta dialecto siciliana scripsit, coram multitudine congregata preeclarissime verba fecit; quod multo post etiam in honorem Dantis Aligherii et S. Francisci Seraphici senex adhuc preestare potuit.

Multis vero annis ita inter labores assiduos in iuvenum salutem susceptos elapsis P. Lojacono, cum nostri interea in Siciliam revertissent, a. 1894 lyceo relicto Mazaram inter fratres se recepit. Ubi cum paucos menses moratus esset, in provinciam Romanam ascitus est atque in collegium Frusinonense primum venit. Ibi homo, qui tam diu in scholis ver-

satus est, plus quinquaginta sex annos natus apostolicos labores subiit tum domi tum in missionibus verbum Dei annuntians ac Frusinone reliquias S. Familiae fovens, quae a. 1870, cum dicio Pontificia vi occupata esset, suppressa erat. Mense martio a. 1895 P. Lojacono cum socio quodam Arpinum profectus est, in Ciceronis patriam, oppidum inter montes situm. Iter nive alta iacente erat difficillimum, Arpinum nivibus obrutum. Incolae etiam ii, qui in textrinis labore victimum quaerebant, operibus fere omnes vacui erant. Ecclesia S. Michaelis, quamquam vastissima, cotidie plena erat hominibus in verba missionarii fere senis, sed vegeti et fervidi auscultantium. Ad confessionalia tam avide populus convenit, ut aliorum sacerdotum opem implorari oporteret. Lycei alumnis adulescentibusque exercitia peculiaria habita sunt. Cum eo tempore praepositus cuiusdam ecclesiae Arpinatum creandus esset, sacerdotes, quibus id iuris erat, omnes concordibus animis P. Lojacono elegerunt, sed re ei delata nihil responsi sane rettulerunt nisi : « Mihi non licet ». Saepius vero deinde P. Lojacono praedicandi verbi Dei causa Arpinum repetit.

Frusinone mox Romam venit, ubi e collegio S. P. N. Alphonsi multum laboravit, praesertimque in multis institutis religiosis et seminariis Romae forisque exercitia spiritualia habuit, ita ut Rm̄us P. Raus aliquando revertentem a labore salutaverit dicens : « Bene, bene, video Patrem Lojacono semper ad labores exeuntem communitatisque indigentiis subvenientem ». Eius dicendi genus apostolica simplicitate, sed simul grandi vigore praeditum erat, ita ut non inter communes verbi Dei praecones numerandus esset, praesertim cum semper uno tantum animarum Deo conciliandarum studio agi cerneretur. Tempore inter singulos labores libero ad conscribendum novum librum usus est conferentiarum asceticarum, qui deinde Romae prodiit (*Sant'Anna al cuore delle sue figlie*). Quia longo in scholis publicis labore hand paucos homines notos habuit et etiam amicos, qui ad dignitates ascenderant, non raro intercessione sua sive domorum nostrarum sive aliorum institutorum negotia ad bonum finem perduxit. Ita, cum domus Buxilongensis causa quadam implicata esset, quae quasi infinita esse nec umquam solvi posse videbatur, ipse brevi sententiam prosperam obtinuit. Instituto vero cuidam sororum religiosarum, quod puellas instituere vetitum scholasque claudere iussum erat, ab administratore publicae instructioni praeposito, quem ipse adiit, obtinuit, ut docendi venia restitueretur.

Roma deinde in Siciliam revertit. Saccae (*Sciacca*) sub festa Nativitatis Domini a. 1903 antiqua nostra ecclesia ad nos iterum rediit. Cum vero collegium a magistratibus civilibus occupatum esset, P. Lojacono cum altero Patre duobusque fratribus laicis permittente archipresbytero supra ecclesiae matris sacrarium habitavit, donec anno sequenti collegii

quondam nostri partem saltem recuperavimus. Saccae igitur P. Lojacono contionibus quadragesimalibus operam suam incepit.

Multo ante P. Lojacono sacerdoti Iacobo Cusumano obviam fuerat, institutori sororum, quae pauperum ancillae appellantur, et ab eo invitatus est, ut eum in instituendis sororibus adiuvaret. Cum vero P. Lojacono excusationem attulisset, ille « Sit ita igitur », inquit, « nunc quidem me iuvare non potes, sed olim sorores meas adiuturus es ». Res oblivioni tradita erat, sed cum P. Lajocono Saccam venisset, in memoriam revocata est. Ibi enim extra partem ab hominibus cultam et a collegio nostro satis distans ecclesia est, quae cum olim ab Augustinianis relicta esset, cum aedibus adiacentibus ancillis pauperum tradita est. Ad hanc ecclesiam domumque sororum P. Lojacono superiorum iussu curam spiritualem exercere coepit. Unoquoque mane igitur, sive aestas sive hiems erat, caelum sereno tum imbre demittente ventisve flantibus, viis tunc luce electrica nondum extante obscuris senex visus est vias carpens, ut officium suum apud sorores puellasque parentibus orbas, quae earum curae traditae erant, obiret. Novem annos ita, ut fundator praedixerat, sorores pauperum ancillas adiuvit.

Crediderit forsitan aliquis vitam P. Lojacono miram fuisse, e qua non una, sed plures fabulae, quae dicuntur, romanticae confici possint. Sed confiteamur oportet ubique, sive scholarum magister erat, sive missionarius et religiosus, vitae eius tenorem admirandum et integrum fuisse. Sodalis Congregationis semper vitae communitatis se accommodavit, quod in eo, qui plus triginta annos extra claustra vixisset, imprimis laudandum erat. Ut vitae operosae deditus, ita etiam vitae a negotiis remotae, studiorum orationisque amans fuit. Se reficiendi causa Saccae senex facta visitatione SS. Sacramenti et Beatae Virginis in civitatis hortos deambulatum exire solitus est, ubi saepe amicis iuvenibusque studentibus obviam factus est, quibus erat acceptissimus. Florum quoque amor animum iuvenilem prodebat. Ab hortorum civitatis custode, quem amicum habuit, plantas petere solitus est, quas cum ipse fovisset, floribus pulcherrimis altare in oratorio ornabat. Quamvis senex plus octoginta annorum, valitudine tamen optima vultuque vegeto erat, ita ut satis diu adhuc victurus esse videretur. At Dominus aliter constituerat.

Die 31 ianuarii a. 1924 decubuit. Res visa est levis, sed cum nec cibos nec potum reciperet sufficientem, paulatim vires extenuatae sunt. Aetas annorum octoginta sex ipsa morbus erat, nec sive confratrum cura sive medici ars proficere potuit. Saepe morbi tempore s. confessione cum Deo reconciliatus et fortium pane refectus tandem festo S. Mathiae Apostoli, die 25 februarii, s. moribundorum sacramentis munitus et effigiem Iesu Crucifixi atque imaginem Matris dolorosae manibus tenens placidissime in Domino obdormivit.

P. Lojacono indole erat acri ac vehementi, at erga omnes tamen affabili et liberali. Vitae virtute actuosa simul et boni studiosa et benevolia omnibus carus erat, quo factum est, ut non tantum fratres eum defunctum plangerent quam maxime, sed etiam cives Saccenses, inter quos diu moratus multorum sibi amorem conciliavit. Multa soluta oratione aequa ac versibus scripta reliquit, praesertim in honorem Beatae Virginis, e quibus Saccae carmen epicum in honorem S. Ioannae ab Arcu aliudque carmen in honorem B. Mariae Reginae pacis prodiit. Alia quoque carmina festiva rogantibus amicis typis impressa sunt; nonnulla etiam modis musicis instructa.

Quia in vita P. Lojacono omnibus omnia fieri sategerat nulla hominum condicione post habita, quid mirum, quod mortuo multitudo immensa grati animi sensa prodere voluit? Omnia ordinum homines ad exsequias adfuerunt, clerus, magistratus municipales cum decurione, sorores religiosae multae cum alumnis suis, collegia iuvenum cum signis suis ac turba copiosa ad exsequias adfuerunt. In memoria erit iustus! R. i. p.!